Universitätsbibliothek Paderborn

COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.

Bredenbach, Tilmann

Coloniae, 1584

VD16 B 7375

18. De funesto interitu Menelai sacrilegi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-52445

Visual Library

& proſtrati, omnes verò in fugam conuerſi ſunt. Ipſum etiam ſacrilegum ſecus ærarium interfecerunt. Et cùm epinicia agerent in Hieroſolymis, eos qui ſacras ianuas incenderunt, id eſt, Caliſthenem, cùm in quoddam domicilium refugiſſent, incenderũt, digna illis mercede pro impietatibus ſuis reddita. 2. Mach. 8.

Ex 2. Machabæorum cap. 13. De funeſto interitu Menelai ſacrilegi.

CAP. XVIII.

CVM Antiochus Eupator veniret cum multitudine magna contra Iudæam, cõmiſcuit ſe illis & Menelaus, & cũ multa fallacia deprecabatur Antiochum, non pro patriæ ſalute, ſed ſperans ſe conſtitui in principatum. Sed rex regum ſuſcitauit animos Antiochi in peccatorem, & ſuggerente Lyſia hunc eſſe cauſam omnium malorum, iuſsit vt eis eſt conſuetudo, comprehenſum in eodem loco necari. Erat autem in eodem loco turris quinquaginta cubitorum, aggeſtum vndique habens cineris. Hæc proſpectum habebat in præceps. Inde in cinerem iuſsit deijci ſacrilegum, omnibus eum propellentibus in interitum. Et tali lege præuaricatorem legis contigit mori, nec terræ dari Menelaum, & quidem ſatis iuſtè. Nam quia multa erga aram Dei delicta commiſit, cuius ignis & cinis erat ſanctus, ipſe in cineris morte damnatus